



Prævio Christo.

**N**on minus præclarè ac eleganter, quam verè & sapienter, mihi dixisse videtur famosissimus ille vitæ ac morum censor: Quò quid altius, inquiring, eò fortunæ tempestatibus apertius. Quippe nihil tam securis radicibus nititur, in quod violentia fatorum non valeat. Turres muris superbè eminentibus extructæ, magis tempestatibus sunt expositæ & sæpius à tonitru feriuntur, quam viles tabernæ. Undæ fortius ad scopulos, quam ad glaream allidunt. Quid in terris præter hominem majus? nihil. Quid admirabilius? nihil: ita ut à nonnullis terrestribus Deus nominatus. Ægyptij illum animal adorandum & admirandum vocarunt. Trismegistus hominem miraculum magnum, animal Deo simillimum, Deorum interpretem appellavit. Imò à Deo ipso, ut Regius Prophetæ testatur super opera manuum suarum constitutus, ut illi omnia servirent, ipse nulli. Nihilominus tamen quia ita ad arcem consumatæ felicitatis evectus, tempestatibus fortunæ propinquior & apertior est. Hoc ex clarissimorum virorum scriptis & sententiis, in quibus miseriam vitæ humanæ enumerant & lamentantur, demonstrari potest, utpote *Plin. Proæm. lib. 7. § c. 50. ejusd. lib. Senec. Epist. 91. § 99. Plutarch. in Consol. ad Apolon. D. Augustin. lib. 11. c. 14. § lib. 2. 2. c. 12. § 13. de Civit. Dei.* Et omninò ita se res habet, propter unum enim Protoplasti facinus, corpora humana non solum cala-

A 2

mita-